



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.DC.XXXV. Sancti Patris Benedicti. M.C.LIIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

*Infectos in-  
feros pati-  
tur.*

dum modico sese cibo reficeret à rap-  
tibus libera, semper nihilominus Deo  
cohærens, dum, quid comederet? ro-  
garetur, planè comedere se ignorabat.

Ipsam crebris insultibus cacodæmo-  
nes turbare conati, invictâ ejusdem in  
DEUM fiducia etiam contemptim re-  
jecti sunt, & desputi. Contigit subin-  
de ægritudine corporis correptam, ab  
obeundis laboribus & consuetis impedi-  
ri munijs; ex quo ipso plurimum dolens,  
supplex quamprimum Virginem

*Ope Dei-  
para sapius  
convalescit.*

Matrem exorabat, atque illico mira-  
biliter convalescens, quæ necessaria e-  
rant opera feliciter exequabatur. Con-  
tingit id quandòque cum pleuritide de-  
sperata laboraret, eo die quo moritura  
credebatur: vocatâ siquidem in o-  
pem M A R I A, lectulo exiliens viribus  
pristinis recuperatis ad solidum pen-  
sionem contendit, mirantibus alijs & ro-  
gantibus: unde isthæc insperata novi-  
tas? unde robur & vires essent? Falsa  
ingenuè est simplex Virgo: *Marem,*  
inquit, *Virginem sanctissimam in auxili-  
um vocavi, quæ memet tangere dignata,  
absolute sanitati restituit.* Fuit grata ad-  
modum sanctæ memoriæ Matri An-  
næ de Goulaine, de qua supra, & visa  
utraque est sapius, cum ipsis per Su-  
periorum licentiam licebat colloqui,  
inter loquendum rapti in extasim, ita  
ut per multas horas immotæ hærerent,  
corporibus in terra sine ullo vitæ sen-  
su, spiritu vero inter cœlites diuissi-  
mè conversatæ, intelligentes utraque  
quid ipse Optimus DEUS & Dominus  
animabus illum verè quærentibus im-  
pertiretur. Vidit sancta hæc soror,  
Francisca, Annam aliquando, dum  
Professionem suam legeret sive repe-  
teret, loco in quo versabatur multâ cœ-  
litum turbâ completo, ambitioso An-  
gelorum famulatu ad osculum pacis  
deduci, multasque alias cœlestes habuit  
visiones & visitationes. Verum de-  
nique tot tantisque, cœlestibus orna-  
mentis cultissimam, inque innocentis-  
sima mente aggregatis divitijs locuple-  
tem, abesse sibi diutius cœlum non est  
passum; ac proin febri vehementissi-  
mâ correpta, ita languere cœpit, ut  
vita ejus planè à medicis desperaretur.

*Visio ejus.*

Intellexit periclitari de vita tam cha-  
ram Numini sponfam R. P. Joseph de  
Morlaix, Franciscæ quondam nutriti-  
us, totòque tunc Regno Galliarum ce-

*Mori dis-  
fert in gra-  
tiam vivi  
alicujus sa-  
cra.*

leberrimus Ecclesiastes Capucinus, cui  
nihil magis in Votis fuit quam mori-  
enti adesse, sed cum subitus casus, sacro  
ejus desiderio nimio opere obsisteret, ita  
ut per aliquot dies abesse cogeretur,  
exorato Numine, morienti præcepit,  
ut ad occursum usque suum operire-  
tur. Paruit humilis Virgo, neque e-  
nim prius, manifesto miraculo, vitam,  
etsi ad immortalitatem plurimum an-  
helans, abruptit, quam præfatus occur-  
reret Pater, ipsoque intuente felicissi-  
mè moreretur; nimirum postquam si-  
bi injecto in collum fune, ab omnibus  
publica poenitentia veniam poposcis-  
set: tunc enim, utpote quæ imperio  
subditam mortem habere videretur,  
converso in dextrum latus corpore,  
capite in manus Infirmariæ inclinato,  
Sacramentis omnibus ritè præmunita,  
pacatum Spiritum sponso tradidit hoc  
ipso anno 1634. die 4. Aprilis, cujus  
multa facta miracula referuntur, om-  
nibus ad sacrum funus ejusdem occur-  
rentibus Sanctam proclamantibus, &  
ut talem venerantibus. Accivisse pau-  
lo post etiam Dominam suam visa est,  
& ad præmia æternitatis evocasse, quæ  
nimirum decimo post die, 13. Aprilis  
ejusdem anni plurimis bonorum ope-  
rum cumulis dives in eodem Monaste-  
rio, felici transitu Franciscæ Franciscam  
sequuta est: cum utraque insigni san-  
ctitatis exemplo cæteras sorores exci-  
tasset, suamque in omni vitæ rigore,  
constantiam & generositate insigni-  
ter comprobasset.

*IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.XXXV.*

*Sancti Patris Benedicti. M.C.LIIII.*

**D**irissima hoc anno Germaniam  
fame atrociter flagellante, dum  
bello exhaustos diuturno, rerum jux-  
tâ omnium inopia premeret, nec in-  
firmam solum plebeculam affligeret,  
sed & delicijs austeros pessimè haberet,  
felibus, canibus, muribus, cum inedia  
consumptis, tum in alimentum quæ-  
sitis, gramine, fœno, stramine, luto  
ipso in cibos hominum versis. Tanta  
omnium in calamitate mirum omni-  
no, quanto sese Charitatis solidioris af-  
fectu Ordo noster in omnes extende-  
rit, seque ipsum defraudans, inopes,  
famelicos, moribundos complexus sit;  
sufficiat exemplum, valde tamen his  
ulimis temporibus memorabile ad-  
duxit-

*Sanctis-  
simi cu-  
Obitu.*

*Mortui  
& Dona-  
na olim  
eius.*

*Summa  
atrocissi-  
ma.*

*Ordinis  
nostri libe-  
ralitas.*

duxisse. Præerat tunc, haud ita pridem restitutus, suo quibusvis Ordini per Wirtenbergiam Canobij, Archisterio sanctissimi nominis Hirsaugiensi Reverendissimus & Amplissimus Dominus Andreas Geist à Wildeck, vir non minus Virtute omni, quam genere Nobilis, ex Imperiali Monasterio Weingartensi, cujus Priorem egerat laudatissimum, sanctissimorum illius loci Præsulum haud immerito Succesor designatus; ut qui ipsorum à puero vitæ perfectionem sit imitatus, incomparabile suæ ætatis exemplar perfectionis.

Andreas  
Abbas Hir-  
saug.

Ejus fama  
Virtutis.

Hic etsi summis infimisque, nemini non (quibus vel semel novisse contigerat) probaretur & commendaretur à Virtutibus maximis, ab eximia tamen charitate & liberalitate, celeberrimi erat apud pauperes nominis, ita ut longè latèque apud eosdem: tanti Præsulis fama, innotesceret, quo factum, ut universali famis dirissima plaga, amplissimas provincias invadente & pessundante, ad Patrem hunc pauperum universi recurrerent, cumque in tanta rerum omnium indigentia nullam uspiam etiam apud opulentissimos sperarent opem, ad alterum sui sæculi Nicolaum & Joannem Elemosynarium non recurrerent solum, sed Monasterium quasi oblatione cingerent, casulas ex ramis arborum struerent, omnes ad Cænobium aditus occuparent, ut qui eò iter intenderant, expauescentes, haud procul inde castra militaria adesse autumarent. Res mira! Nullum omnino quotidie, & quidem longo tempore, dum fames duraret, præterijt seu neglexit Eiusdem munificencia. Et hanc majorem fuisse prius quam animadverterent Oeconomus & Granarius, ex ijs conijcere licet, quæ postea contigerunt, ita cæca manu liberalis in omnes fuit, Numini plus credens quàm sibi, Andreas Christi jussu dispensare in turbas sibi in deserto visus, illi Jesu miraculo & confusus & asuetus. Sero animadvertere, quorum intererat, etiam Religiosis & domesticis providere: & confluentibus magis ac magis quotidie turbis, cum in tantum numerum, nemo nisi Numen sufficeret, & horrea, granaria, promptuaria, pena, exhausta omnia videbantur, ita ut paucissimis

Pauperum  
Pater.

Inexhausta  
prodigiosa  
liberalitas.

ascetis vix in hebdomadem. sufficerent, pluresque in mensem menses superessent. Quiritari primum rei domesticæ curatores, quos inter & A catholici etiamnum erant, necessario tenti, donec vel exemplis nostrorum ducti & verbis, Romanæ se adungerent Ecclesiæ, vel suæ, juxta rerum experientiam, satisfacerent functioni, certe miracula experti, & confessi: quiritari, querelis illorum accensi, Religiosi. Frustra omnia, oculatiore Andrea Præsule, non horrea, sed DEI manum attendente, haud sine indignatione illorum, qui nihil suis reservari necessitatibus, iusta mensura deprehenderent. Interventit amicissimus, non minimi nominis Prælatus, & commodum intervenire Ascetis & rerum curatoribus visus, cum ipsi nihil proficerent querelis & precibus. Obstupuit horreorum inanitate conspectâ hospes Abbas, & rogatus dicere quod res est, promisit non solum, sed obligari se asseruit, quod deinceps eo loco subsistere Religiosi non possent, ea nuperrimè occupata loca, A catholicis necessario cessuri, dum alimentorum penuria coacti, ad suos reverti cogerentur. Ergo multis in rem argumentis Abbas Abbatem aggressus, dum in Religiosos denique peccare diceret, & in periculū Ordinis, ac deferendi in manus Hæreticorum loci Sanctissimi; nil aliud responsi retulit: nunquam cogitaret à se pauperem repellendum; DEUM dum daret, sese quoque daturum, & quo indigeret ipse pane, cum paupere dimidiaturum. Abiret ipse prior, qui pauperibus suum hic panem voraret; equos suos retraheret, quos ipse pauperibus præferre impium duceret; sua & pauperum communia omnia esse. Retulit ipse, cui responsum hoc modo fuit, & cum equis suis onerare Hirsaugiam nolle, liberè fastus, pedem retulit, Andreae & Religiosis abundante ad miraculum, quibus quotidie, & largius quàm alias alerentur, & Abbatem dispensante in omnes & singulos pauperes, & quidem largissimè, ut cæcus juxta & stultus esset, qui non ejusdem prodigiosa beneficencia obvenire animadverteret, qui tot millia tam paucis in deserto pavit panibus; non idem miraculum quotidie renovari, & oculis & manu indubitatè depre-

Incredibi-  
lia visa  
quiritari-  
bus superis  
omni ino-  
pia.

Deterrere  
ipsum fra-  
stra cona-  
tur qui-  
dam Ab-  
bas.

Manife-  
stum deni-  
que omni-  
bus fuit mi-  
raculum.

henderet. *Ex oculatorum testium relatione.*

*Cremonensis Monasterij Benedictinae liberalitas.*

Nolumus alia recensere recentissima Benedictinae liberalitatis nostrae aetatis exempla, miranda sane, etsi non ita ut Andreae nostri jam dicti prodigiosa, ipsi, ex parte vidimus, (quis veter locum nominare, qui nominatissimus est, vel hoc ipso nominandus, Cremonense nimirum superioris Austriae Illustrissimum Monasterium) una unius diei quotannis liberalissima largitione, praeter panem & vinum ad sexaginta boves, in unam unicam multorum millium confluentium pauperum eleemosynam, memorabili prorsus exemplo dispensari. Quod ipsum BENEDICTO Redivivo convenientissimum esse, neminem crediderim esse, qui ambigat, etsi hoc non inter prodigia, sed pulcherrima Benedictinae Charitatis exempla numeremus.

Mortuus sub hoc ipsum tempus Reverendissimus Dominus P. F. Franciscus de Bivar. Nucalensis in Hispania Monachus, sanctorum lectissimorum ejusdem Canobij collega non solum, sed & institutor felicissimus, vir longè doctissimus & ingeniolissimus, cujus in Flavium Julium Dextrum Commentaria, nemo unquam satis mirabitur, & deprædicabit, quem & nos commercio litterario Amicum meruimus, & in caelis Patronum nobis pollicemur. Fuit Philosophus & Theologus incomparabilis, Mathematicus praeterea insignis; Historicus mirificus planè, iudicio, rerum cognitione, & industria prorsus singulari. Fuit dum Romæ ageret, Congregationis Amplissima Procurator Generalis, ob præstantissima animi talenta, in summa apud omnes & S. R. E. Cardinales, & ipsum summum Pontificem aestimatione, caelo dignior quam terris, adeoque ab illo præmaturè abreptus, Collegis sanctissimis & discipulis, quem tantoperè amaverant, secum habere contendentibus, & facile à Numine impetrantibus. *Ex Mss. ex Hispania communicatis.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXVII  
Sancti Patris Benedicti. M. C. LVI.

**A**ccendendis virorum, frigidissimâ nostrâ aetate, ad sacram Generositatem animis fragili usus sexu DEUS Optimus Maximus, iterum

aliud insigne perfectioris vitae Speculum in tenerima ac nobilissima Virgine Catharina à S. Trinitate exhibet. Ea, jam data fide viro Nobili, de celebrandis paulo post nuptijs & Matrimonio ineundo, ad festa sese Hymenalia præparabat, ignara omnino, quid de se Regum Regis (statuerat Divina voluntas & providentia. Commendatura proin Numini & Numinis Matri Virgini, seque & sponsum & quem elegerat statum, peregrinatione ad celebre aliquod peregrinorum frequentia & devotione Caëlorum Augusta Sacellum suscepta, dum ibidem Divinae Matri se totam expectorat, ejusque sese animus commendat protectioni & gubernationi, *Divinitus* edocetur (rem distinctius non exponit historiae scriptor) & intelligit; minimè mortali sponso, sed Deo ipsi in Monasterio se desponsandam. Acquievit illico Voluntati Divinae Generosissima sponsa, & omnem amorem carnis & sæculi averfata, ad florentissimum tunc fama & disciplina Fontis Ebraldi Canobium se contulit, seseque amantissimo Numini devotissimè totam devovit & consecravit. Verum Antonietta postea Aurelianensis Ducissa Sanctissimo vitæ illecta exemplo, altiora spirans, & suspirans, ad rigidius institutum, rogata & accepta Superiorum licentiâ, nostrarum de Calvaria Monialium se transtulit, & ad magnam illam, & humilem ex tanta Principe Christi ancillam in Leincestrenti Canobio sese recepit, admirandis illius vitæ exemplis mirificè accensa, eaque pro virili imitata. Congregationisque Calvariae primaria Alumna effecta, exemplar paulo post singulare omnis perfectionis omnibus extitit. Ipsam amantissimus Sponsus Christus, diuturno prorsus Probationis quindecim annorum tempore, summa mentis ariditate flagellavit & exercuit, ipsa nihilominus incredibili animi generositate, labores omnes & arduitate tolerantè patientissimè ac superante; postea primùm summo Orationis & devotionis, nec non gustus supernaturalis rerum Divinarum dono à Numine donata & honorata, ita ut hoc tota ferveret & amore colliquefceret, & verè jam non sibi, sed soli illi qui pro se in Cruce devixerat, viveret, & cum castissima illa Agnete, in

*Ven. Calvarina de S. Trinitate.*

*De Voluntas gratia edocetur.*

*Vit Monialis Calvarienensis.*

*Rigo y vita ejusdem.*